

9.

8/1863

D. A. G.

(88)

# CULINA MUTATA,

QUAM,  
SUFFRAG. EXPERIENT. FACULT. MEDIC.

IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,

PRÆSIDE,

VIRO NOBILISSIMO AC EXPERIENTISSIMO

# DN. DOCT. CAROLO LINNÆO,

EQUITE DE STELLA POLARI,

SÆ RÆ M:TIS ARCHIATRO,

MED. ET BOT. PROFESSORE REG. ET ORD.

ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.

LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO,

PUBLICÆ CENSURÆ SISTIT

# MAGNUS G. ÖSTERMAN,

FIERDHUNDRENSIS.

IN AUDITORIO CAROL. MAJ. D. XVI. NOVEMB.  
ANNI MDCCCLVII.

H. A. M. C.

---

UPSALIÆ, Excid. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

SÆ RÆ M:TIS  
ARCHIATRO  
NOBILISSIMO atque EXPERIENTISSIMO,  
**Dn. Doct. NICOLAO**  
**ROSEN,**  
EQVITI de STELLA BOREALI splendidissimo,  
Nec non Reg. Soc. Scient. Ups. & Acad.  
Scient. Stockh. Membro.

VIR O  
AMPLISSIMO nec non EXPERIENTISSIMO,  
**Dn. ERICO ELF,**  
Med. Doct. Reg. Colleg. Med. ADSESSORI,  
Artis Obstet. PROFESSORI ac Nosoc. Stockholm. Intend.

PATRONIS SUMMA ANIMI

**T**antum venerationis, affectus atque pietatis, Vobis,  
quantum ab eo unquam expectari poterit, qui plu-  
Fateor & fatebor, me totum in Vestro esse ære:  
qui mihi in tristiori rerum mearum statu adfuitis, & feci:  
cumberem. Dum anima spirabo mea venerabundus hoc:  
votis & suspiriis calidissimis.

NOBILISSIMORUM & CELEBRATISSIMORUM

*Cliens*  
**MAGNUS G.**

S:Æ R:Æ M:TIS  
MEDICO ORDINARIO  
VIRO AMPLISSIMO atque EXPERIENTISSIMO,  
**Dn. DOCT. SAMUEL  
AURIVILLIO,**  
Anat. & Med. ad Acad. Ups. PROFESSORI  
Reg. & Ord.  
Nec non S. R. Scient. Upsal. Membro.

V I R O  
AMPLISSIMO atque EXPERIENTISSIMO,  
**Dn. JOH. BERGSTRAHL,**  
Med. Doct. Reg. Colleg. Med ADSESSORI ,  
ac Classis Reg. Med. Ord.

## VENERATIONE COLENDIS.

Patroni optimi! una cum hoc chartaceo munere offero,  
rima a Vobis accepta beneficia gratissimo collit pectore.  
Scio, quantum post Deum immortalem Vobis debeam,  
stis, ut illis, quæ me afflixerunt, malis, penitus ne sue-  
agnoscam, junctis pro Vesta perenni felicitate precibus,

## NOMINUM VESTRORUM

*Devotus,*  
**ÖSTERMAN.**

KONGL. MAJTS  
TROTJENARE och LIEUTENANTER,  
HÖGÅDLE HERRAR,  
Hr. HECTOR J. Herr GEORG A.  
LOFFMAN, | Herr WALTER,


Gunstige Herre.

Min Gunstige Herr  
Morbroder.

A nsen med gunstigt välbehag, Mine Herrar, att jag  
till betygan af den vörtnad och erkånsamhet,  
hvarmed jag Eder är tillgifven, tillegnar Eder  
detta lilla arbete. Tillåten åfven, att jag förlåkrar,  
att mitt tacksvamma hjerta, då all annan vedergellning  
mig fattas, skal beständigt innom sig sjelt fornöja sig  
med åtanckan af sin pligt, och jag med all vörtnad  
framhårda, att vara

Mina GUNSTIGA HERRARS

Ödmjuk tjenare,  
MAGNUS G. ÖSTERMAN.



## D. D.



### §. I.

uamvis pler'que homines, rationem  
secuti ducem, in cogitando & ju-  
dicando conspirent; suum tamen  
cuique arbitrium est singulare;  
suus cuique gustus, ut vere dici  
possit: quot capita, tot sensus.  
In tanta rerum varietate, quam o-  
ptimus creator homini attente con-  
siderandam objecit, aliud huic, aliud illi maxime placet.  
Sic mihi, ex multis objectorum millibus unum electuro,  
præ cæteris arisit gustus ille, per quam dissimilis antiquo-  
rum & recentiorum in deliciis æstimandis, quem non  
minus variare intelligo, quam varia sunt hominum e-  
jusdem ævi judicia. Cum vero hoc argumentum latius  
se defundat, quam, ut brevi dissertatione explanari  
queat, ea tantum commemorare in animo est, quæ ad  
gustum hominis, & quidem in foro diætetico, pertinent.

### §. II.

Si *Præparationem ciborum apud veteres*, dapesque  
ex arte Apicis adornatas, cum cibis, quos coqui ma-  
gnatum nostro tempore parant, contuleris, tantum cer-  
te in his adparet discrimen, quantum inter vestimenta  
veterum atque hodierna, vel etjam inter hominem lar-  
vatum & gallicis ornamenti instructum. Hujus vero in  
cibis conficiendis discrepantiæ non una semper atque ea-  
dem datur cauſa. Mos, trium ille litterarum tyrannus,  
heic non suo deſtituitur ſuffragio. Indiae & quæ allæ  
ſunt regiones diffitæ, quas poſtmodum detexerunt aut

A

ſaltem

saltem adcuratius visitarunt mortales, varias res antea incognitas advenis, paululum ibi commorantibus, obtulerunt, quæ palato arridentes, atque ideo in Europam redeuntes comitatæ perpetuam humani ingenii mutabilitatem infecerunt, utpote quæ varietatibus delectatur, & omnia experiendo, meliora sepe invenit, eaque, uti fas est, deterioribus præfert. Ex multis summis labris delibimus sequentes:

3 Glandes	Seges	15 Lepidium Armoracia
4 Malva	Spinacia	16 Silphium Allium
5 Blitum	Atriplex	17 Garum Enerascolus
6 Borago	Aceto/a	18 Pisces Carpio
7 Beta alba	Beta rubra	19 Oleum Butyrum
8 Bulbi	Cepa	20 Mel Saccharum
9 Sisarum	Pastinacia	21 Mulsa Vinum
10 Faba	Phaseolus	22 Zythbus Cerevisia
11 Eruca	Dracunculus	23 Medo Sorbet
12 Apium Petros.	Sellerie	24 Calida Thea
13 Pepones	Melones	25 Vulva Gelatina.
14 Rhus obson.	Myristica	

## §. III.

GLANDES, quæ deciderant e patula Jovis arbore Quercu, priscis, si Scriptoribus & Poëtis antiquissimis credimus, alimento fuerunt, quod satis videtur verisimile, cum ex itinerario Shavii in Africam & Asiam observemus, Africanos etiamnum *Glandes* e *Quercu vulgaris*, brevibus pedunculis. Baub. hist. l. p. 70. seu eadem varietate, quæ ad Hunneberg nostratum in Westrogothia crescit, sumtas, assare atque comedere, quippe quæ, ut cæteri etiam fructus in australioribus terris multo sunt majores & dulciores, quam in nostris. Postquam vero Ceres, aut aliis quisquam immortalis venerationis atque memoriæ, FRUMENTA hominibus detexit, glandes tandem, ceu amaræ, spernebantur.

## §. IV.

## §. IV.

MALVA veteribus inter communissimos erat cibos, sed, quæ jam non amplius in mensis nostris comparet Priscis, qui, a mollitia longius remoti, durioribus utebantur cibis, graviores vero sustinebant labores, necessarium fuit interdum alimentum quoddam emolliens, ut alvum servarent apertam. Unde *Martialis*

*Exoneraturas ventrem  
nibi villica malvas attulit.*

Ad quam autem speciem Folium hoc Malvæ sanctissimum Pythagoræ referri debeat, meum non est determinare. Etenim omnes fere plantæ ordinis Malvacei eadem sunt virtute præditæ; Probabile est fuisse *Alceam roseam* secundum *Casp. Baubin. pinace 215.*, quæ quotannis in nostris hortis seritur, sed cuius tamen ne folium quidem hodie decerpitur in usus culinarios. SPINACIA oleracea, herba veteribus ignota, statim post redditam scientiis lucem & dispersas barbarei nubes in culinis tam frequens fuit, quam Malva ibidem conspicui desierat. Et rationem quidem haud difficulter invenimus, cur Malvæ folia Spinaciæ cedere eogerentur. Hæc enim mollior est atque magis insipida, & tenui prorsus caret tomento, quod in Malva saporem non gratissimum linguae conciliabat. Satis perquisiverunt Botanici, unde hæc Spinacia venerit, eamque nec in Europa, nec in Indiis invenerunt; usque dum ultimis jam temporibus terræ Orientales, Tartaria & adjacentes regiones fuere peragratæ; In his vero reperta est sponte crescere cum Artemisia Dracunculo & Atriplice hortensi, quæ veteribus æque ignotæ, sub ipsa barbarie huc immigrarunt; quando Gothi, testantibus historicis, Tartariam egressi, Italiam inundantes sedem sibi eligebant; nihil enim ad fidem proprius est, quam quod hi herbas gratiiores & sapidiores ex solo natali sibi comparaverint.

## §. V.

BLITUM veteribus æque ac Beta & Malva frequens fuit, sed in nostris jam mensis aut hortis non conspicitur, nisi forte in Hispania; estque vegetable hoc valde obscurum, ut non sine difficultate sciamus, quodnam sit, nempe *Amarantus albus*. ATRIPLEX autem hortensis huic successit. Probe scio veteres in culinis suis Atriplicem quandam habuisse, sed quæ ab Atriplice nostra hortensi omnino discrepat. Folia hujus in oleribus & juiculis tantopere adamata, Bliti foliis præripuerunt palmarum, quippe quæ adeo erant insipida & fatua, ut foemina, alacritate, forma & omni lepore destitutam, inde vocarent Blitem. Nova hæc Atriplex singularem vim obtinuit per aliam herbam, quæ veteribus fuit ignota, sed in nostris jam culinis usitata, SCANDIX odorata vocatur, cuius folia huic admixta, aneti saporem præbent.

## §. VI.

BORAGO a veteribus tantopere in esculentis adamata, tam quam cordiale optimum, sed perperam, credebant, adeo jam nostris stomachis displicet, ut quamvis sponte instar lolii in hortis crescat, a coquo tamen intacta relinquitur, nisi forte corollas inde sumat ad exornandas, non vero condiendas patinas. Et si quis negat Boraginem veterum esse eandem, quæ jam eodem insignitur nomine, sed potius Anchusam quandam, neque illa jam in usu est, nisi quod infima plebs verno tempore folia nonnulla decerpit oleribus commiscenda. Verum hodie frequens in hortis herba est RUMEX Acetosa, Alpina, Ruthenica aut Hispanica dicta, quæ ad embemmatum quotidie cum butyro & ovis parata adhibetur, quod novitium est inventum in culina, quamvis apud Lappones & Samogedas antiquissimum.

## §. VII.

BETA vulgaris seu *Beta alba vel pallidissima*. C. Baub.

pin.

pin. 118. veteribus æque fuit in culinis frequentata, ob eandem fere rationem, ac Malva, hinc *pigrō ventri non inutiles Betas*, *Martialis nominat*. Jam vero mensis nostris raro imponitur, cum saporem per se non habeat, sed multorum aromatum accessionibus indigeat. Unde etiam *Martialis*

*Ut sapiant fatue fabrorum prandia Betæ  
O quam sepe petit vina piperque coquus.*

Et hanc ob caussam non nisi a coquis magnatum præparatur, qui multis aromatibus cibo per se insipido saporem conciliare norunt. Nos vero BETAM habemus, quæ veteribus non fuit cognita, nempe rubram, radice rapæ. Bauh pin. 118. cuius non folia, ut prioris, sed radicem adhibemus, quæ acidum aceti exsorbet, stomachum reficit, & friabilitate, non minus, quam colore sese commendat.

### §. VIII.

BULBI veterum adeo facti sunt ignobiles, ut conjectura vix determinare audeamus, quinam fuerint a Romanis antiquis tantopere usitati. Sed nos vicissim ASPARAGOS *altiles* melius, quam illi solebant, producere edocti sumus. Hi sapore bulbos antecellunt, virtute autem fere exæquant vim, Bulbis antiquorum testimoniis vindicatam.

### §. IX.

Suum SISARUM eam a veteribus adprobationem meruit, ut Tiberius Princeps illud flagitaret omnibus annis a germania, Gelduba appellatur castellum rheno impostum, ubi generositas præcipua, teste Plinio. Non sine causa miramur, cur radix, tam facili opera in hortis nostris plantanda, tamque dulcis & sapida, ut parem vix agnoscat, tantam apud nos desuetudinem sentiat, ut in paucissimis hortis compareat, sed contra PASTINACA sativa, quæ apud veteres nullum præstabat usum,

quamvis in Europa sponte crescat, invaluerit, ut omnium fere sit communissima; forte ideo, quod major sit, magisque sufficiens, nec non facilitiori opera purgabilis.

## §. X.

FABA veterum seu *Nymphaea* longe alia erat planta, quam quae nobis faba vocatur. Græci, imprimis veteres hujus in aquis repertæ semina libenter comedebant; sed videbant prudentiores non optimum hoc esse alimento, cum venerem extinguat: Nos eam nec plantare possumus, nec dignam habemus, quae transportetur, cum fabam contrario effectu detexerit sequior ætas, flatulentam & per consequens veneri amicam, PHASEOLUM loquor vulgarem ex India oriundam, & veteribus certe in culinaribus ignotam. Frigoris quidem impatiens est, sed uberem tamen apud nos habet fructificationem.

## §. XI.

ERUCA (*Brassica Eruca*) veteribus in cibariis adeo fuit frequens, ut acetariis cunctis admiseretur, ceu quæ venerem in tantum excitare credita fuit, quantum eandem Lactuca suffocaret. Unde Martialis dicitur, *venerem revocans Eruca morantem*. Jam vero ita in desuetudinem venit, ut in nullo seratur horto, sed ejus loco sumimus herbam veterum culinis insolitam, nempe NASTURTIUM seu *Lepidium sativum*, cuius folia lactucæ adjungimus, vel etiam folia *Artemisiæ Dracunculi*, priscis ne nomine quidem nota. Folia enim Erucæ hircinum fere odorem habent, suntque ad superficiem fere scabra, atque adeo ad rem culinariam multo ineptiora foliis Erucæ nominatis.

## §. XII.

APNUM veterum idem est, quod Botanici vocant *Apium Petroselinum*, quod suam adhuc in culina retinet præstantiam. Sed hujus speciei alia jam regnat varietas, *Apium* nempe *hortense latifolium*, maxima crassissima svari & dulci radice. Boerb. lugd. I. p. 58. (rot-persilja) quæ

quæ nostro quidem tempore orta, sed qua originem tamen huc usque ignota, æque ac cæteræ varietates rerum culinariarum, ut Foeniculum fasciatum, Beta radice rapæ, Brassica selenicia, & quæ sunt plures. *Apium graveolens*, CELLERIE Italorum, culinam sequioribus temporibus intravit, condimentum tamen cibi magis, quam alimentum. Hoc si cognovissent veteres, potiori jure, quam prius illud, defunctorum feralibus epulis dicassent, hoc enim posterius ex tetra planta aquatica, quæ sicciori loco male olenem qualitatem, maxima ex parte exuit, meliori cultu est emendata, sed non nihil tamen retinet, illis utique noxium, qui debilitate labrant nervorum.

## §. XIII.

PEPONES, quibus frequenter usa fuit antiquior ætas, etiamnum quidem in australioribus terris comeduntur, sed fatui admodum sunt, eamque ob rem, plebis plerumque fercula. At gustus delicatior in MELONIBUS collendis majorem insumfit operam, qui sine additamentis aliorum aromatum, cibum per se præbent delicatissimum.

## §. XIV.

RHUS obsoniorum, seu fructus *Rhois coriarie*, veteribus condimentum ciborum fuit quotidie obvium, sed eujus jam in culinis nulla comparent vestigia, postquam *Nucis MYRISTICÆ*, quam India nobis mittit, usus ubique increbuit, cui præterea eadem vis ineft austera, ad stringens & corroborans, & in super qualitas quædam fragrans, quæ eam multo reddit gratiorem.

## §. XV.

LEPIDIUM latifolium (Bittersaltlo) veteribus condimentum erat, carnis coctis apponendis idoneum, atque ipse agnus Paschalis Judæorum cum amaro hoc salsamento erat comedendus. Sed quamvis facilis negotio apud nos crescat, deseritur tamen omnino, ejusque loco radix

radix Cochleariae ARMORACIÆ frequentem obtinuit usum. Hæc instar foliorum Lepidii adhibetur, cum hæc, bene contrita, longe sit suavior & tenerior.

## §. XVI.

SILPHIUM seu *Succus CYRENAICUS* veterum, qui apud veteres tanto erat pretio, ut a Romanis ceu condimentum prætiosissimum emeretur, per bella Asia-tica, utpote a Persia usque & terra Mogolis asportan-dus, ita in desvetudinem venit, ut nemo eum postea de-sideraret, quin & ars eo vescendi in Europa oblivioni fuit tradita, doctam enim gulam requirebat. At vero Indis etiamnum est in usu; illustriores enim succo hoc Cyrenaico suas illinunt quadras, carnibus & variis piscium generibus vescituri, ut delicatissimum illis saporem con-ciliant. Pauperes vero, succum adeo sumtuosum sibi pa-rare non valentes, Allio contento esse coguntur. Est vero succus Cyrenaicus, nihil nisi *Affa foetida*, cujus odor nobis tantopere est abominabilis, et si ne quinquagésimam quidem habeat ejus foetoris partem, quæ in vi-rente percipitur. Nos vero ALLIIS utimur, maxime na-tiones nonnullæ, & imprimis Romano Catholici & Tur-cæ, quibus ita est in deliciis, ut infantibus suis præman-dant. Major vero pars nostratum tam docto nondum utitur palato, ut allia facile ipsis arrideant. *Allium* autem, quod *Cepa Ægyptiorum radice rapæ*, magnitudine omnium in suo genere præstantissimum est. Assum enim aut co-ctum volatile suum maxima ex parte deponit, friabile est gratisque saporis. Hujus tandem semina haud ita pridem ex Russia introduci & in hortis magnatum seri coëpta sunt.

## §. XVII.

GARUM illud sociorum, *pretiosa malorum piscium sanies Senecæ*, quod ad carnes veterum tam usitatum erat, quam apud Turcas hodie, præparabatur ex intestinis pl-scium, imprimis Sombri, quæ probe falsata vasis inclu-debantur

debantur, usque dum in liquamen essent soluta, sed igno-  
rari omnino a nostratis coepit, postquam *Clupeam*  
**ENCRASICOLUM** dictam, salemarino saturatam, sub  
nomine *Enjovis*, eundem præstare effectum, sed multo  
puriori præparatione & sapore, didicimus.

## §. XVIII.

PISCES veterum delicati, quos tantopere laudabant,  
tanta servabant cura in suis Piscinis, tantis coëmebant  
sumptibus, etjam ex longinquis locis, *Lupum loquor mari-*  
*nūm*, inter duos pontes Romæ captum; *Murænam*, cui  
damnata mancipia in vivariis objecit Pollio, *Acipenserem*,  
qui tibiis & coronatis ministris inferebatur in triclinium;  
*Scarum* ultimis ab oris attractum; *Mullum* prætiosissimum,  
quo ex spirante nihil formosius; *Anguillam*, cœnarum  
*Helenam*; *Auratam*; *Julin*, aliosque pisces, apud nos  
partim sua amiserunt prætia, partim difficilius comparan-  
tur. Nos eorum loco *Cyprinum*, CARPIONEM in deli-  
ciis ponimus, nec vero PERCAM fluviatilem, more Hol-  
landico Præparatam, vivam fere aquæ ferventi & sale  
conditæ cum Petroselini radicibus & foliis immisam, post-  
modum patinæ cum calido suo juscule (Sauce) impositam,  
cum pane dulci & fermentato, adjecto large Butyro re-  
centi, comedendam, aspernamur.

## §. XIX.

OLEUM apud veteres frequenti admodum erat in  
usu, qui adhuc ab Europeis australioribus continuatur.  
Nos illud parce omnino consumimus, cum loco olei ve-  
gitabilis ab oliva expressi, oleo utamur lactis e bovibus,  
seu BUTYRO, quod antiquis adeo in cognitum fuit, ac  
nobis jam est frequentissimum.

## §. XX.

MEL, quo veteres suas edulcorabant dapes, quodque  
ad potiones gratas conficiendas adhibebant, unde Meda  
majorum nostrorum erat præpata, SACCHARO, post  
aucta cum indis commercia, ita exclusum est, ut melle

sam parce utantur culinæ nostræ, quam Saccharo luxuriant.

## §. XXI.

MULSA, consuetum genus potionis apud veteres prorsus cessit vino, postquam mercatura, VINA cuiuscunque generis asportans, *mulsam* antiquam nostratium ita exterminavit, ut pauci admodum veram Mulsæ conficiendi rationem teneant,

## §. XXII.

ZYTHUS, potus apud antiquos communis, ignotus vero nobis, qui ejus loco CEREVSIAM habemus lupulo conditam, atque adeo durabiliorem. Usum enim humuli in potu prorsus ignorabant veteres, immo vix herbae humus ibi inveniuntur vestigia, quamvis nostro tempore in Europa humulus sit frequentissimus.

## §. XXIII.

MEDO, veterum & septentrionalium potus, jam fere in totum est abrogatus. Contra Matronæ nobiliores recentiori ævo potionem conficerunt, gustui suo delicato accommodatam, quam *Aquam* dicunt *passularum*, nec a SORBETO orientalium & Ægyptiorum differt, cuius præparatio pro cujusque gustu variat.

## §. XXIV.

CALIDA vendebantur prisco ævo in cauponis seu thermopoliis cum vel sine vino, unde Plautus homines commemorat; quos semper videoas libenter esse in thermopolio. Ex Dione Cassio constat, *Cajum Caligutam*, cauponem quandam interfecisse, quod per dies funeris Drusillæ sororis aquam calidam vendidisset, & imperator Claudio subvertebat Romæ hæc thermopolia. Hæc igitur non amplius invenimus, sed aliis tamen non minus large eorum loco utimur, cum in nostris thermopoliis infusum THEÆ singulis diebus propinetur.

## §. XXV.

Singulas autem veterum delicias, instituta cum recentioribus comparatione, persequi, angustia chartæ non permit-

permittit. Suis illi dapibus opiparis delectabantur, nostræ nobis placent; eorum saginati *Catuli lactantes*, VULVA & Sumina, salivam nobis non movent, eorumque usus cum suis authoribus esse cessavit; contra ea, nobis nostræ sunt deliciæ, in quibus seu præstantissimas nominare debeo GELATINAS nostras, veteribus ne nomine quidem notas, quæ adeo delicatæ sunt, adeo nutrientes atque salutares, ut ab omnibus fere corporum constitutionibus, & quod majus est, in omnibus morbis consumi possint; minimam sane naturæ vim postulant, ut in alimentum abeant, ita ut viscera chylopoietica sub earum usu otientur, modo vasa lactea eas exforbeant, inque massam sanguineam introducant.

## §. XXVI.

Vidimus igitur magnam commutationem in culina factam, & quam mensis nostris fercula imponantur discrepantia ab illis, quæ parabant veteres. Non tamen contendimus, omnem cibum a veteribus usitatum, ab hodier-  
nis rejici. Complures enim veterum retinemus dapes, quæ neglectum non admittunt. Etiamnum in culinis no-  
stris, carnium elixationes (*kokning*) Affationes (*stekning*) fricationes (*slufning*) instituuntur. Habemus veterum Tomaculas (*lefverkorfvar*) Botulos (*blodkorfvar*) Iscicia (*backmat*) Offulas (*fricadeller*) Porcos trojanos (*fylde griser*) Anseres durateos (*fylde gåss*) Jus spartanorum (*svartsåd*) imo Placentas (*pannekakor*) & Tortas (*tortor*). Et e lacte nobis frequens est veterum Melca (*filbunke*) Oxygala (*gåsen-mjölk*) Aphrogala (*snö-mos*) sed nostrum & Anglorum quotidianum Possetum (*öhlöst*) ipsis adeo ignotum erat, atque adhuc est plerisque Europæ partibus. Indiæ ultimis hisce temporibus peragratæ, exoticis Aro-  
matibus culinas nostras ita appleverunt, ut Apicius eas ingressurus novum putaret esse orbem: *Piper*, *Zingiber*, *Cardamomum*, *Cinamomum*, *Myristica*, & quæ plures sunt species ita invaluerunt, ut aromata pluris jam constent,

quam

quam ipse cibus, & coquus noster aromatibus tantum, ferculum præstantissimum, etiam ex dedolamentis afferum, se parare posse, confidit. Ut de *Saccharo* nihil dicam, cuius in culinis, jam frequentior usus est, quam salis, adeo ut si accederet Plinius, pro eo, quod dixerat, *sale & sole*, jam diceret: *Saccharo & sole nihil utilius.* Sed quem hæc omnia nobis præstant usum? Calida certe aromata senium accelerant, & plurima illa Saccharata fibras tenuiores ac debiliorem texturam corporis humani. Indis quoque debemus *Theam*, *Coffeam* & *Cocholadam*, Amricanis vero præcipue *Tabacum* illud venenosum, quo totus infectus est orbis. Nobis vero ipsis acceptum referamus *Spiritum vini s. frumenti*, & plura Vinorum genera, quæ in tantum excreverunt numerum, ut integrum collegio privatissimo opus sit, ut quis gulam obtineat doctissimam, ad has species earumque vires dignoscendas. Repositorya nostra tot jam splendent vasis murrhinis ex China adductis, non tantum potionibus *Theæ* & *Coffeæ*, sed ipsi etiam apparatu ciborum admodumatis. Apparatus item argenteus sese offert ex *Cantharis* pro *thea* & *coffeæ*, *Ahenis*, *Poculis* pro *lacte*, *Vasis ablutoriis* (*Skölkannor*) ut patinas gallico nomine, *Plat de menage* dictas; taceam, quæ tantum sane constant, quantum Verua veterum argentea; & quamvis nostris conviviis non totos a pros assatos singulis personis adponamus, eam tamen ferculorum multitudinem adhibemus, ut ars coquinaria Magnatum hoc tempore maximam requirat experientiam, ut in hac eruditus quisquam evadat, & qui e' ti sunt libri coquinarii non minimam efficiunt  
Bibliothecam.

*Nec satis est ars ipsa coquo servire palato,  
Sed Coquus Domini debet habere gulam.*

*Martial. XIV. 220.*

